

Christian Ohm Heinrich Michaelis

Disputatio De Pignoribus Et Hypothecis

Rostochii: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788081705>

Druck Freier  Zugang




Alte Wien 81

V. N. — 2 (171.)

alte Wien Stad. Yellman

PIGNORIUS
ET HYPOTHECA

Christophorus ...



DISPUTATIO
DE
PIGNORIBUS
ET HYPOTHECIS

Quam

D. O. M. A.

Permissu ac autoritate Amplissimi Iudiciorum ordinis
in Celeberrima Rostorum Academia,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi ac Consultissimi Viri,

Dn. CHRISTIANI SSM/

J. V. D.

Nobiliss. & Doctiss. Dnm. Collegis

discutiendam proponit

HENRICUS MICHAELIS

Padiborna - VVestphal.

Hora & loco solitis.

S. I. De concept. ff. ad Tribonianum.

*Nil tam studiosum in omnibus rebus invenitur quam legum
auctoritas, qua & divinas & humanas res bene disponit, & omnem
iniquitatem expellit.*

R O S T O C H I

Typis Joachimi Pedani, Anno 1613.



Fautoribus ac promotoribus suis

P R A E S T A N T I S S. A C
Humaniss. Viro,

Dn. THEODORO VARMEIERO,
J. V. CAND.

Nobilissimis ac Praestantiss.
Dnn.

Dn. GEORGIO FALCKEN Von Kessenbrock /
Equiti VVestph.

Dn. CASPARO Von Bulow /
Equiti Megapolitan.

Dnn. maxime honorandis

Hanc disputationem

devotè & humaniter

dicat dedicat

Respond.



T H E S I S I.



Enera cautionum quibus utiliter *l. nomen 4. C. qua res pign. oblig. idoneè l. ergo 4. §. addicè ff. de fidei com. lib. & rectè l. 9. C. de collat. creditoribus* cavetur duo sunt, fidejussores & pignora: Illorum cautio in personam est, horum vero in rem.

I I.

Inscriptioni vero hujus disputationis ut objectum respondeat, de hoc genere videlicet pignoribus pro tempore jam videbimus: utq; 1. interpretatione nominis, 2. ejusdem denotatione res illustretur, pignus à pugno dictum propriè putamus, cum res pignori dandæ manu tradantur *l. plebs 238. §. pignus, de V. S. W. s. in par. hic n. 3. Herm. Meyer tract. de pignor. t. 1. n. 1. §. seq.*

I I I.

Et inter cætera denotat ipsam rem creditori oppignoratam a) aliquando jus creditori in re oppignorata constitutum b) aliquando ipsam obligationem c) aliquando ipsum contractum. d)

a) *§. 7. vers. nam pignoris Inst. de Act. t. t. de distr. pign. l. 6. §. fin. l. 8. §. 4. sup. de pign. act.* b) *l. 1. in pr. ff. de pign. act. l. 3. inf. hic t. t. qua res pign. obl. poss. t. t. qui pot. in pign. Treutl. 2. disp. 1. th. 1. lit. a.* c) *§. fin. l. quib. mod. re contr. obl.* d) *l. 1. in pr. de pign. act. l. 4. hic Gæd. ad l. plebs 238. §. 2. de V. S. Vult. 1. J. R. c. 34. n. 2.*

I V.

Definitur autem pignus in genere contractus a) nominatus b) re initus c) creditori jus constituens in re debitoris, d) ad rei creditæ restituendi fidem. e)

A 2

a) Per

a) Per se consideratus l. 4. l. 11. §. 2. de pign. act. arg. l. 1. in fin. de pact. quamvis verè alijs contractibus si accedat eorum adminiculum dicatur arg. l. 5. ff. h. t. b) l. 1. §. fin. l. jurig. 7. §. 1. ff. de pact. c) §. fin. l. quib. mod. re contr. obl. Moz. tract. de pign. c. 1. n. 3. & seqq. d) siue sit mobilis siue soli l. si is qui §. usufructus l. si fundus in pr. h. t. e) d. §. fin. l. 1. §. jubet ff. de Collat. l. 9. in fin. de sup. leg. Cuj. in par. hic Vult. d. loc. ex quo differentia specifica à reliquis contractibus reinitis patet, Mutuum enim & commodatum rei usum, pr. & §. item 2. l. quib. mod. re contr. depositum custodiam rei depositæ §. praterea eo. Solùm vero pignus securitatem debiti concernit. §. fin. Inst. eod.

V.

Hinc colligere sat est vocabulum (pignus) generaliter in se continere & pignus in specie sic dictum & hypothecam a) quæ duo licet usu actionis & nominis sono differant b) promiscuè tamen tam voces quam actionis hypothecariæ & pignoratitiæ nomina confunduntur. c)

a) l. 3. §. est a. 3. ff. ad exhib. Vult. d. loc. n. 3. hoc improprium vocant Dd. Moz. de pign. c. 1. n. 9. per l. si rem alien. 9. §. 2. de pign. act. Trentl. d. loc. th. 2. lit. a. b) l. res hypotheca §. pen. h. t. c) l. 15. §. 2. & seq. h. t. l. 3. §. 3. ad exhib. l. 13. de cond. indeb. l. 11. §. fin. de except. rei judic. l. 15. de re judic.

V I.

Unde statutum quod in pignoribus valet etiam in hypotheca valere cum Negus. tract. de pign. princ. n. 8. & seqq. putamus. Gail. 2. obs. 79. n. 5. obs. 3. per tot.

V II.

Dividitur autem pignus Justin. authore in voluntarium siue conventionale, & necessarium siue prætorium. a) ad hoc, quod vocant iudiciale. referri posse arbitramur: b) Illud dicitur quod ex conventionibus & pactis partium suum

suum esse capit c) nec in eo semper personalis praesentia
sive scriptura de substantia requiritur. d)

a) l. ult. C. de prat. pign. Wes. in par. ff. de pign. act. n. 4.
b) l. à Divo ff. de re judic. d. l. fin. C. de prat. pign. & ibi Sich.
& Dd. comm. c) l. i. de pign. act. §. fin. quib. mod. re contr. O.
d. l. fin. in pr. l. 4. ff. hic. quo etiam refertur pignus testamen-
tarium quod jussu testatoris obligatur l. 26. ff. de pign. act.
l. 12. ff. de adim. Leg. l. 8. §. 15. in fin. de transact. l. 9. ff. de annu.
Leg. d) l. contrahitur 4. l. creditori 23. §. pignori ff. h. t.

VIII.

Hoc quod Prætoris, id est magistratus autoritate ca-
pitur ut si illo jubente non caveatur pro legatis, damno in-
fecto &c. a) vel quod iudex ob non factam solutionem aut
contumaciam debitoris ex primo decreto decernit. b)

a) l. 3. ff. ut in poss. Leg. l. 12. pro empt. l. 3. §. 1. de reb.
eorum qui sub tut. text. in l. dies §. si intra §. hoc autem de
damn. inf. Menoch. de recup. poss. rem. 12. §. 17. Gaül. de arrest.
Imper. c. 11. n. 22. b) t. i. C. si in caus. judic. Unde Bald. in d.
l. un. C. n. 3. triplicem facit sequestrationem, conventiona-
lem, prætoriam, & judicialem, & sic, licet pignus prætorium
& judiciale quadantenus discrepare videantur, nonnun-
quam tamen confunduntur, alterumq; pro altero usurpa-
tur, gl. in d. l. 2. C. de prat. pign. Gaül. d. loc. n. 23.

IX.

Pignus voluntarium sive conventionale subdividitur
in expressum vel tacitum. a) Illud est quod expresso con-
sensu, hoc quod silentio & justa præsumptione ex legis di-
spositione constituitur. b)

a) l. pen. ff. in quib. caus. pign. tac. l. 3. C. eo. l. 1. ff. h. t.
l. 17. C. de dist. pign. Wes. in par. de pign. act. n. 4. Vult. ad §.
7. n. 18. Inst. de act. b) d. l. pen. in quib. causis pign. tac. l. fin.
C. de prat. pign. l. 1. ibi (hypothecariam ab ipsa lege) C. com.
de Leg. l. 6. §. fin. C. de bon. qua lib. Ex.

X.

Expressum est vel generaliter in omnibus bonis debitoris *a)* etiam futuris, licet nomen (futurum) inconventionem generali expressum non sit *b)* vel specialiter, in certa parte bonorum, ultra quam ad alia non extenditur. *c)*

a) Huc pertinent nomina, actiones & jura *l. nominu 3. l. postquam 7. C. de hered. vend. l. nomen 4. C. qua res pign. obl. l. 18. ff. de pign. act.* quod in universali obligatione simpliciter facta procedit, non si pro parte ut si mobilibus tantum sive immobilibus solum facta sit. *l. A Divo S. in venditione ff. de re judic. d. l. nomen 4. merces venales Gail. 2. obs. 83. n. 5. bona emphyteutica modo in canonis solutione non mo- retur Emphyteucarius l. Lex. § ibi Goth. h. t. l. 1. ff. si ag. vectig. non tamen feudum c. 1. de prohibit. feudi per Frid. b) l. fin. C. qua res obl. ibi (tam presentes quam futuras) l. 1 in pr. ff. hic Dec. conf. 139. n. 3. Gail. 2. obs. 25. n. 5. c) l. 1 in pr. l. 15. ff. h. t. ea tamen quæ obligata sunt quicquid ijs accedit obligatum manet veluti per alluvionem *l. si fundus 16. in pr. h. t. l. 18. §. si nuda. de pign. act.* aut quod ex re pignoratatum est, ut partus ancillæ *l. Paulus 29. §. si mancipia hic arg. l. 21. §. 2. l. fidejussor. §. Lucius eo. c. accessorium de R. J. in 6.**

XI.

Diximus initio th. præc. de generali bonorum conventionem, in qua tamen I. observandum, hac obligatione generali rerum quas quis habuit habiturusve sit ea non contineri quæ verisimile est quenquam specialiter non obligatum fuisse, ut sunt suppellex, vestis & alia ad usus quotidianos necessaria *text. in l. 6. de pign. l. seq. eo. ad quos usus necessarios etiam Libros Dd. & studiosorum cum Gail. 2. obs. 25. n. 6. referimus, arma militum, instrumenta opificum quæ sub generali illa conventionem non contineri Dd. comm. concludunt: Concubinam etiam uti & filios naturales, alumnos &c. in eam non venire text. est express. in l. 8. hic.*

II. Ob-

XII.

II. Observandum in hanc generalem obligationem non venire ea quæ alienari aut oppignorari prohibita sunt ut instrumenta rustica *l. pignorum 8. juncta Auth. agricultores C. quæ res pign. obl. spes athletæ de futuris ex victoria præmijs l. spem. 5. C. eo.*

XIII.

Si vero debitor alia bona non habeat, quam quæ hic excepta recensentur, quæ situm est an illa sint obligata? quod verum puramus ne irrita & inutilis sit obligatio: idem juris est si hujusmodi bona specialiter creditori sint obligata. *arg. l. Titius in fin. quæ res pign. obl. l. ult. ubi Dd. C. eo. l. si fundum C. qui pot. in pign.*

XIV.

Tacitum ex tacita dispositione legis introducitur a) & habet uxor in bonis mariti pro dotis restitutione b) pupillus in bonis tutorum vel curatorum c) filius in patris d) vel matris ad secunda vota transeuntis e) legatarius & fideicommiss. in hæreditate f) fiscus in bonis contrahentis si ve debitoris fisci g) Ecclesia in bonis prælati. h)

a) *l. i. ff. 3. C. quib. mod. pign. vel hyp. tac. velex præsumpta voluntate si ve privilegio l. un. §. 1. C. de Rei ux. act. l. i. ibi (hypothecariam ab ipsa lege) C. com. de Leg. l. 6. §. fin. C. de bon. qua lib. hocq; legale tacitum appellant Dd. illud tacitum in speciè sic dictum Mozz. di. tract. c. 2 n. 23. plenè Covarr. 1. var. resol. 7. b) d. l. un. §. 1. C. de rei ux. act. Negus. tract. de pign. memb. 9. n. 24. 3. seqq. Wes. in par. ff. in quib. caus. pign. tac. n. 4. Treutl. 2. disp. r. th. 4. lit. f. c) l. 20. C. de admin. tut. etiam neglectis t. r. C. si tut. vel cur. non gest. idem etiam tenet in protutore si ve eo qui non est tutor sed gerit se pro tutore, ut tenet gl. in d. l. 20. C. de admin. tut. d) cum scilicet pater male & fraudulenter administravit alienavitq; bona filij l. 6. C. de bon. qua lib. e) non prius distractis*

abstractis suæ administrationis rationibus vel tutore petito
quo casu secundus maritus pro uxore tenetur, ejusq; bona
liberis primi matrimonij tacite obligata sunt, *l. pen. C. in
quib. caus. pign. l. 2. C. quando mal. tut. off. & ibi Goth. licet.*
nec alias maritus pro uxore & contra teneantur *l. t. C. Ne
uxer pro marito* hic tamen fallit, cujus quadruplicem videt
differentiam apud *Gail. 2. obs. 90. per tot. Myns. cont. 1. obs. 29.*
cautèq; ut agant hujusmodi contrahentes nuptias confi-
lium subministrat *Bart. in d. l. pen. in fin. C. in quib. caus.
pign. & c.* f) pro legato consequendo *l. 1. C. com. de leg.
§. 2. vers. nostra l. de Legat.* g) *l. quod placuit 37. l. infer-
tur 46. §. 3. & ibi Goth. ff. de jur. fisc. l. certum 2 C. in quib.
caus. pign.* quod jus fisci omnes habent principes & civita-
tes superiorem recognoscentes vel non, modo hi conces-
sione vel privilegio merum & mixtum Imperium juraq;
Regalia habeant, *Negus. d. tract. p. 4. n. 114. Treuil. d. vol. d.
diss. d. th. 4. lit. n.* h) pro mala administratione rerum
Ecclesiasticarum *c. illud caus. 29. q. 7. c. locator caus. 3 q. 92.
c. ult. c. 3. ext. h. t.* De hujusmodi hypothecæ alijs modis
vide pass. Dd.

Pignoris hisce principijs visis & cognitis deinceps in-
vestigabimus, quinam pignori res obligare & quibus obli-
gari possunt.

X V.

Sciendum autem est pignus non à quovis pro lubitu
sed ab eo tantum contrahi in vel ex cujus bonis res pigno-
ri necerenda tempore conventionis reperitur, qui verus do-
minus dicitur a) vel quasi b) & qui domini loco est c) &
administratore Reip. d)

a) *l. que pradium §. C. si alien. res pign.* pignus enim
rem afficit & jus in re alterius constituit *sup. th. 7.* At hoc
sine domini voluntate vel alterius cui hoc jure conceditur
fieri nequit *l. solutum 11. §. fin. ff. de pign. act.* Ergo necesse
est rem

est rem vel in vel ex debitoris bonis esse *l. 6. C. quæ res pign.*
obl. arg. l. nemo de R. J. & qui eam alienare potest l. ult. C. si
res alien. pign. b) ut Emphyteuta *arg. l. 31. & ibi Goth. de*
pignorib. qui licet Emphyteusin sine domini consensu alie-
nare non possit, *l. 3. C. de jur. Emphyt.* oppignorare tamen
eam utiq; non prohibetur *Gail. 2. obs. 25. n. 6. Dec. cons. 359.*
n. 3. gl. in l. fin. ibi (& alijs vendere) C. de jur. Emph. quia
Pignus in debitoris bonis manet *text. in l. rescriptum 12. de*
distr. pign. & sic propriè alienari dici nequit, cum jus suum
in alium non transferat *Gail d. loc. superficiarius l. tutor §.*
fin. de pign. act. modo domino solarium solvat *l. 15. qui pot.*
in pign. c) ut tutor & curator qui res minorum in eorum
commodum regulariter dare possunt *d. l. 16. in pr. l. 7. §. 1.*
de reb. eor. qui sub tut. l. 22. vers. precipimus C. de administ. tut.
in quibus tamè de moderno jure inquisitione opus est, tam
rerum mobilium (preciosarum maximè & necessariarum)
quam soli, & causæ probatio interpositioq; decreti ne legi
fraus fiat *l. 22. C. de adm. tut. Const. imper. Anno 1548. Bon-*
der Pupillen vnd minder Jährigen Kinder etc. vers. das er
nach etc. d) *l. si is qui ii. in pr. ff. h. v.* quia actor civitatis
ex Reip. voluntate bona ejus obligat, dum enim rebus de-
creto decurionum præficitur, generaliter intelliguntur
omnia ei permitti quæ ad Reip. utilitatem pertinent; ut
exactio, foeneratio &c. *l. Cajus ii. ff. de usur.*

XVI.

De muliere num obligare possit cum quodammodo
dubitari possit, nos tamen eam, pro se, pignus dare posse
putamus, cum in rem suam sese obligare non prohibeatur
per *l. aliquando 13. l. 16. ad Sc. Vell.* diximus autem pro se,
quid vero dicendum si pro alio dederit? Utriq; succurren-
dum putamus *l. mulier ii. C. de distr. pign.* Mulieri succurri-
tur, quia pro alio intercedens ex Sc. Vell. obligationi exi-

B

mitur

mitur: alij vero quia Sct. Vell. totam mulieris obligationem
improbat l. 5, in fi. C. ad Sct. Vell. Obr. disp. de pign. 15. th. 165.
& duab. seqq.

XVII.

Ex quibus qui oppignorare non possunt, contrario
sensu colligere licet: ut sunt pupilli sine auctoritate tutoris
a) servus vel procurator sine domini consensu & decreto
b) filiusfam. sine voluntate patris. c)

a) Hi enim ut res alienare ita & sine justa causa & Præ-
toris decreto obligare nequeunt l. tutor. 16. de pign. act. l. 1.
ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 22. C. de adm. tut. & si obligatæ
sunt frustra obligatæ intelliguntur l. 1. in pr. & §. 1. ff. qua res
pign. obl. b) d. l. r. §. 1. d. t. arg. à contrar. sens. l. 5. §. fin.
hic. l. 1. & ult. C. si res alien. pign. nisi sit universorum bono-
rum vel speaiale mandatum ad hoc habeat l. solutum 11. §.
ult. l. vel universorum de pign. act. c) & hic in ratione com-
paratur pupillo per d. l. 1. §. 1. qua res pign. obl. quia ut hujus
ita & illius nulla per se voluntas intelligitur l. pupillus 189.
de R. J.

XVIII.

Hinc I. quæri potest si res aliena pignori nexa sit cre-
ditorine id noceat? Nos distinguendū putamus inter igno-
rantem & scientem debitorem: Hic si pignori rem alie-
nam nectat vel in publicum obligandam det, non solum de
ca tenetur, verum etiam crimen stellionatus committit.
l. 16. §. 1. de pign. act. l. 3. ff. de crim. stellion. l. 2. vers. nec tã-
men C. eo. Nec à tali crimine liberum judicamus qui æs pro
auro oppignorat l. si quis 26. in pr. de pign. act. (nisi res am-
pla modico fuerit obligata tunc enim de dolo tenetur d. l. si
quis §. 1.) sicuti nec qui rem uni obligatam alteri obligat
l. 1. & ult. C. de crim. stell. Ignorans vero justè quoad cri-
men excusatur, non vero quoad contrarium iudicium.
d. l. 16.

d. l. 16. de pign. act. l. 22. ff. h. t. eleg. Vult. i. discept. 17. erudi-
te Obr. d. disp. 15. à th. 238. usq. ad 257. Ab utroq; vero libera-
tur, si sciat creditor alienam rem oppignorari sibi d. l. 16.
& sic ei exceptio obstabit, si vero possidet, retentionem
habebit, si autem in rem veri domini pecunia conversa sit,
obstabit & ei vindicandi exceptio l. 1. C. si res alien. pign. obl.
sufficit etiam ut voluntas domini vel præcedat vel subse-
quatur l. 20. in pr. ff. de pign. act. l. 16. §. 1. hic. ut & sola pa-
tencia l. si sine §. si res C. ad Sc. Vell. Et hæc in generali hy-
potheca maximè locum habent l. 1. hic in pr.

XIX.

II. Q. An etiam res communis ab uno dominorum
sive sociorum oppignorari possit? ad quod Resp. quod
sic per l. un. C. si comm. res pign. obl. quia cum res communis
pro indiviso sit singulorum, singuli eorum jus domini
plenum in partem suam indivisam obtinent, ac proinde il-
lam oppignorare ac alienare possunt l. 7. C. com. utr. jud. l. 1.
& pass. C. de com. rerum alien.

XX.

Constitui vero pignus ijs solum posse videtur qui suo
nomine jus pignoris acquirunt, per liberam enim perso-
nam ut est procurator non acquiritur. l. solutum ii. §. pen.
de pign. act. l. 6. C. si res alien. pign. obl. & sic restringimus
hanc thesin ad th. 17. sup. sub lit. b. Neq; hoc constit. Severi
arbitramur mutatum in l. 1. C. per quas person. nob. acquir.
cum illa de possessione pignoris jam acquisita & non acqui-
renda, loquatur. d. l. ii. & ibi Goth.

Personarum cognitione rectè cognita, rerum adjici-
tur: ut nimirum intelligamus quænam res pignori obligari
possint vel non.

XXI.

Constituitur vero pignus in omni re a) modo nec na-
tura

tura b) nec lege c) prohibeatur: idq; quod emptionem recipit oppignorationē non recusare in plurimis putamus. d)

a) Tam præfenti quàm futura ut in fructibus pendentibus, partu ancillæ, foetuiq; pecorum *l. 15. in pr. h. t. l. 18. § 2. de pign. act.* tam corporali quàm incorporali *l. 3 7. C. de hered. vend.* tam mobili quàm soli *l. si fundus 16. l. 1. § seq. l. 34. de pignor. l. 1. C. de Prat. pign. l. 18. §. 3. de pign. act.* modo in vel ex debitoris bonis sit *d. l. nemo ff. de R. J.* hic tamen pro coronide notari potest res immobiles jur. Sax. non nisi consensu iudicis, durch Gerichts gunst pignori dari *Treutl. per alleg. d. disp. th. 2. lit. f.* b) ut sunt res quæ commercium non recipiunt, hæ enim neq; nexum patiuntur *l. 1. §. eam rem, qua res pign. obl. sacræ & religiosæ l. 2. C. de relig. § sumpt. fun. l. 3. C. qua res pign. obl. l. 12. C. de S. S. Eccles.* liber homo, nisi evidens fuerit necessitas *l. 15. ff. de captiv. § possim. l. 20. §. 1. qui test. fac. poss. c. 1. ext. h. t. d. l. 12. C. de S. S. Eccles.* Unde nec liberorum hominum, quibus alieni debiti causa manus injiciuntur pignorationem quas representalias vocant de jure consiliteri putamus *l. un. C. ut null. ex Vicar. pro alien. Auth. sed omnimoda C. ne uxor pro marit. Nov. 52. c. 1. Constit. Car. Anno 1570, cap.* Wenn auch die Arresta wie die Repressalien etc. *Gail. tract. de pignorat. c. 2.* c) ut sunt res pupillares sive minorum *l. 2. l. 20. de pign. act.* instrumenta ad agriculturam deputata ut boves *l. procuratores cum seq. C. qua res pign. obl.* contrarium tamen (si expresse conventum sit) contra Bart. verum putamus *per l. 32. h. t.* unde contra facientibus poena in *Auth. agriculteros C. d. t.* constituta legitur: Fundus dotalis *l. un. C. de Rei ux. act.* bona feudalia *c. 1. de prohibit. feudi alien. per Fried.* non autem fructus eorundem *Gail. 1. obs. 117: Wesl. in par. qua res pign. obl. poss. sup. th. 15. lit. b.* d) *l. s. d. § quid § 1. a. g. l. si is 11. §. usufructus ff. h. t. l. 1. §. eam rem 2. ff. qua res pign. obl. poss.*
Filium-

XXII.

Filium familias etiam oppignorare non posse statuimus
per text. in c. 2. extr. h. t. hunc enim ad pignus accipiens re-
legatione punitur l. ult. quæ respign. obl. acceptos ignoran-
ter qui scienter retinet à debito cadit, nec non & aliam
quantitatem filijs detentis vel parentibus eorum dare tene-
tur, & ad hoc quod liberam personam pro debito retine-
re aut locare aut pignori obligare præsumpsit, poenis cor-
poralibus subijcitur. Novel. 134. c. 7. l. ob as. alienum & aush.
ibid. C. de O. & A.

Pignore sic constituto ejus commoda & effectus ex-
 plicandi sunt, qui sunt duplices I. ut rei incumbere alter ut
 eandem distrahere creditor possit.

XXIII.

Sciendum autem creditorem rem pignori datam non
 possidere sed solum tenere, idq; non animo & cogitatione
 domini cum pro alieno, id est debitore possideat a) etiam si
 jussu magistratus ex primo decreto in possessionem mis-
 sus sit. b)

a) *arg. l. pen. §. creditor 2. ff. qui satisd. cog. l. 13. ff. de*
usucap. hujus enim rei in pignore procurator est l. 29. in fin.
Fam. Erc. adeo ut si re mobili oppignorata quæ usu consu-
mitur utatur, furtum creditor committat l. 14. in pr. ff. de
furt. §. furtum l. de obl. quæ ex del. nisi aliter conventum sit
l. 4. de pign. act. cum pignus non ad usum sed securitatem
detur §. fin. quib. mod. re cont. Re immobili vero licere uti
putamus, sed ita ut fructus in sortem impudentur l. 1. 3. 2.
C. de pign. act. l. 9. C. h. t. l. 1. C. de distr. pign. b) l. 10. §. 1.
vers. deniq; de acquir. poss. Eleg. Ev. à Midd. lb. in process.
jur. c. 13.

XXIV.

Et succurritur I. creditori actione & exceptione Ex-
 ceptione.

ceptione si rem pignoratam tenet *l. 1. h. t.* actione si ejus possessione cecidit & hæc est duplex Serviana directa & utilis, hæc ad vindicandum debitoris res quocunq; modo a) vel inquilini tacite b) illa ad res in prædium rusticum à colona illatas, c) aut pro mercede vel oppignoratione rei expressè oppignoratas datur. d)

a) *l. 1. C. com. de Leg. d. §. 7. l. d. act.* quæ etiam vocatur quasi: quia per eam non ita plenè providetur creditoti sicuti per directam locatori, aliquando hypothecaria, aliquando serviana simpliciter *l. 5. in pr. l. 18. 21. §. 1. ff. h. t.* b) *l. 46. ff. in quib. caus. pign.* c) *d. §. 7. Inst. de act.* d) arg. *l. 1. §. 16. ad Sc. Trebell.*

X X V.

II. Possessione morata jam dicta actione, si moram solutionis debitor adhuc committat a) sequitur distractionis remedium sive in contractu convenerint ut sibi liceret distrahere, sive non b) vel ad quod etiam secundum pacti speciem c) varijs modis pervenitur. d)

a) *l. cum necessarias §. cum annua de pign. act. l. 4. ff. eo.* b) *l. si convenit 4. eo. l. 1. C. de pact.* imo & si convenerit ne distraheret, si tamen debitori ter denunciatum fuerit ut solveret & cessarit, distrahere non prohibetur *l. quamdiu l. si cessante l. si prius §. t. t. C. de distr. pign.* quia potestas distrahendi coheret juri pignoris & ejus quodammodo accessio est *l. 1. §. 2. ff. h. t.* c) & licet olim hoc solemne fuerit ut pactum de distrahendo semper pignori bus apponeretur, tamen tractu temporis in consuetudinem venit, ut hoc jure quo utimur si non sit appositum, pro conventu habeatur *l. 3. de pign. act. l. si mandator 59. §. creditor ff. mandati.* d) Unde si pactum de non distrahendo intercesserit (quod de jure licet non valeat cum sit contra utilitatem publicam, eo quod non reperiretur, creditor qui mutuaret indigentibus

gl in

gl. in d. l. si convenit 4.) habet tamen annexam conditionem
illam tacitam si debitor interpellatus solvere non solverit
l. 54. §. inter, vers. Paulus ff. locat. c. 3. extr. de jur. jur. d. l. 4.
ex æquitate concedatur venditio d. l. 4. gl. in §. 1. Inst. quib.
alien. licet vel non.

XXVI.

De denunciatione autem debitori facienda non æquè
convenit inter Interpp. quidam enim inter unam quamq;
denunciationem triduum, quidam semidiem intervenire
debere, quidam judiciis arbitrio committendum existimant
Accurf. ad l. 4. de pign. act. Don. v. ad l. 4. C. de distr. pign.
decem dies intervenire evincit arg. l. promissor. §. r. de const.
pec. l. ad peremptorium l. seq. de judic. Quemadmodum
etiam olim lege 12. Tab. æris confessi & judicati tempus
erat 10. dierum, post quos nisi satisfaceret condemnatus
convincebatur, nos de hoc cuiq; liberum arbitrium uti &
consuetudini multum relinquimus.

XXVII.

Porro quia eadem res pluribus nonnunquam obliga-
tur, fit ut inter creditores disceptari de pignoris deten-
tione & distractione soleat, uter alteri sit præferendus,
idcirco inter creditores temporis ordinem observari, ut qui
prior tempore potior sit jure statutum rectè est a) nec in-
ter est pignus conventionale sit, an prætorium item an res
specialiter sit obligata vel generaliter. b)

a) l. si pignus l. 10. ff. qui pot. in pign. l. 2. 3. l. licet C. eo.
l. 4. C. ad Maced. c. qui prior de R. J. in 6. Wes. in par. qui pot. in
pign. n. 1. nisi eadem res duobus simul uno & eodem tem-
pore obligata sit Frid. Mind. d. disp. th. 77. b) d. l. 2. §. pass.
ff. qui pot. in pign. Gail. 2. obs. 25. n. 3. Wes. in par. qui pot. in
pign. n. 4. Sic h. ad l. 2. C. qui pot. in pign.

Fallie

XXVIII.

Fallit autem I. prædicta regula in hypotheca publicæ,
h. e. in iudicio coram iudice, notario & testibus constituta,
 quæ licet tempore sit posterior, potior tamen priori quæ
 privatim facta est *l. scripturas C. qui pot. in pign.* privata
 enim scriptura non probat contra tertium, *l. instrumenta, l.*
rationes l. exemplo C. de probat. Auth. si quis C. qui pot. in pign.
 & hoc idè à legibus sancitum putamus, ut dolo & fraudi
 quæ alias facile in tempore committi solet, ita ut quilibet
 ad usum suum tempus contractus facile fingere posset, oc-
 curreretur: quæ suspicio cum cesset in hypotheca priva-
 ta trium testium subscriptione firmata, aliud censen-
 dum est, eo enim casu si tempore prior sit publicæ hypo-
 thecæ posteriori rectè præfertur *d. l. scripturas in fin. & auth.*
si quis. Gail. 2. obs. 25. n. 10. imò & si nulla scriptura privata
 confecta sit, tamen si constitutio hypothecæ & quo tem-
 pora facta sit testibus probari possit, creditor tempore
 prior posteriori præferri debet publicam hypothecam ha-
 benti, cum minorem fidem non faciant testes quam instru-
 menta publica *text. express. in l. exercendis C. de fide instrum.*
Gail. d. loc.

XXIX.

Fallit II. in personis privilegiatis hinc mulier ut & li-
 beri ejus in redhibitione dotis anterioribus & posterioribus
 etiam expressam hypothecam habentibus præferuntur
l. asiduis 12. C. qui pot. in pign. N 97. c. aliud quoq. §. 29. l. de
Act. l. in rebus §. volumus C. de jur. dot. Myns. 4. obs. 13. & 1.
obs. 61. & ad d. §. 29 de Act. quod privilegium ad bona mu-
 lieris paraphernalia & donauionem propter nuptias exten-
 di non putamus *d. l. asiduis Myns. 5. obs. 4. Gail. 2. obs. 92.*
n. 10. quamvis ob hæc tacitam in bonis mariti habeat hy-
 pothecam mulier *l. ult. C. de pact. conr.* de alijs plurimis
 hujus

hujus maximæ restrictionibus vide pass. leges l. 6. C. de
Serv. pign. dat. l. 7. ff. qui pot. in pign. l. 5. & seq. eo. N. 136. c. 3.
l. 1. in quib. caus. pign. tac. l. pen. 14. de relig. & sumpt. fun. & c.
uti & Dd. ubiq; in hac materia.

Et ita huc usq; de pignore constituto & constituendo
pro tempore satis diximus: at quia hoc non est perpetuum
restat ut de ejus solutione & liberatione tandem agamus.

XXX.

Liberatur autem pignus præcipuè duobus modis na-
turali solutione a) & satisfactione. b)

a) l. solutam 49. C. de solution. quia hoc modo principaliter
obligatio naturalis tollitur & hoc est proprie pignus de quo
l. 1. C. de luit. pign. nec refert an solutio ab ipso debitore aut
procuratore ejus aut à quolibet alio fiat, ut ait Paulus in l.
Paulus 12. §. ult. quib. mod. pign. tac. l. 4. C. de solut. si ve vo-
lens si ve invitus creditor accipiat pecuniam, cum luitione
semper pignus liberetur, nisi pecuniam oblatam plane reji-
ciat creditor, tum enim adhuc durat pignus, quod tamen
secus est si debitor oblatam pecuniam testamento obfignet
solenniterq; in locum pub. deponat, l. 10. §. ult. C. de pign.
act. l. acceptam 19. C. de usur. l. 8. C. de distr. pign. oblatae
namq; pecuniæ & ejusdem consignatae depositio vim solu-
tionis habet l. 9. C. de solution. d. l. acceptam l. 3. C. de luition.
pign. & in hunc modum etiam compensatio recidit quæ so-
lutionis vim habet l. 4. C. de compensat. b) l. item liberatur
§. in pr. ff. quib. mod. pign. solv. quia satisfactio pro solutio-
ne est. l. 13. §. etiam h. r. l. solutionis 175. de V. S. l. si rem 9. §.
omnis de pign. act.

XXXI.

Satisfit autem creditori vel de sorte a) vel de pignō-
re b) & alijs modis omnibus, modo consensu & volunta-
te creditoris pignus luatur. c)

C

a) d. l. §.

a) d. l. si rem 9. §. fin. de pign. act. b) cum ei scilicet fidejussores vel alia pignora pro hypotheca obligata dantur, aut cum ipse à pignore decedit l. solvitur §. si convenerit ff. quib. mod. pign. solv. c) d. l. si rem 9. §. omnis de pign. act. l. satisfationis 61. de V. S. l. 18. de Novation. l. 11. de pign. act. l. 1. §. fin. ff. quib. mod. pign. solv. l. 1. C. de novat. arg. l. omnia de R. J.

XXXII.

Finito itaq; pignore finitaq; omni pecuniâ, sive præstita satisfatione actio pignoratitia directa domino, h. e. debitori adversus creditorem datur, ad recuperandum pignus vel pro damno, dolo vel culpa creditoris l. 40. §. fin. de pign. act. l. 11. C. eo. §. fin. Inst. quib. mod. re contr. l. 19. C. h. t.

COROLLARIA.

I.

An creditor teneatur de amissione sive interitu rei oppignorata? D.

II.

An teneatur debitor creditori de impensis necessarijs in rem oppignoratam adhibitis? A.

III.

An qui fidejussores dare non possunt, neq; mobilia neq; immobilia habent bona que oppignorent, ad juratoriam cautionem de jure moderno admittantur? A.

PARER

PARERGA.

I.

An legitima possit auferri liberis si Deo consecratur?

II.

An pia cause favor prevaleat liberis?

III.

An dispensatio de jure divino prohibita valeat?

IV.

An filius propter quas causas à patre exheredatur etiam feudo privatus intelligatur?

V.

An in feudo pro se & heredibus suis acquisito sub intelligatur filia?

VI.

Num matrimonium dolo contractum valeat?



ARTICULI

Deo

prohibita


et


et


et

et

et









quod sicut, quam
servari debeat;
mana auctoritas
ducta, ut bene n
Magnif. Dn. Stry
ratione veriorē
riorum dispensat
potius, quam re
in Comment. ad D

Hæc sunt, qua
tate exarare atq
circa has forsan d
rias melius ex

VOTA VEL VT

onscientia servari potest,
quia ibi nihil potest hu
atio quoad DEUM est in
Brunneman. d. 1. §. fin. &
ibid. ad §. 8. ubi ex eadem
tentiam eorum, qui supe
ca votum, declarationem
esse putat. Conf. Lynck.
it. 34. §. fin.

tiarum pro ingenii tenui
potuimus; cetera, quæ
tim, & minus obvias mate
rent, aliis relinqvimus.
andem

PATER; EXAVDI HINC
VOTA!

